

Klem 238(1-20)

79

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
**FEBRE CATARRHALI
EPIDEMICA MALIGNA,**
QVAM,
SVMMI NVMINIS AVSPICIO,
ET
**GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV,**
SVB
PRAESIDIO
DN. IOAN. WILH. BAVMER,
MED. ET PHIL. DOCTORIS, SERENISSIMI HASSIAE LAND-
GRAVII A CONSILIIS RERVM METALL. MED. PROFESSORIS
PRIMAR. PHYSICI PROVINCIALIS, ET NON-
NVLLARVM ACADD. SCIENTT. SODALIS,
PRO
GRADV DOCTORIS,
ATQVE
**PRIVILEGIIS IN SCIENTIA SALVTARI
RITE OBTINENDIS,**
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
D. AVGVSTI MDCCCLXXX.
SVBMITTET
AVTOR ET RESPONDENS,
GEORGIVS PHILIPPVS VOLCKMER,
ODAGSENA - HANOVERANVS.

G I E S S A E
apud IOANNEM IACOBVM BRAVN, Acad. Typogr.



HERRE GOTT

ZUM HÖREN DER GEMEINDE

LEHRWÄRDIGHEITEN

ERATIKHE

IM

XXVII

XXVIII

XXIX

XXX

XXXI

XXXII

XXXIII

XXXIV

XXXV

XXXVI

XXXVII

XXXVIII

XXXIX

XL

XLI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

XLX

XLXI

XLII

XLIII

XLIV



PROOEMIVM.

Non inter vulgus solum, sed etiam inter Medicos parum peritos, praeiudicium illud, exanthemata, ab ξαρδεῖν, efflorescere, dicta, in morbis acutis erumpentia, symptomata horum essentialia, signa diagnostica atque prognostica esse, versatur. Hac quidem ex caussa morbi quidam acuti ab eiusmodi efflorescentiis nomina sua traxerunt; & in hunc censem rubeolae, morbilli, febris rubra, vrticata, purpura rubra & alba, variolae atque petechiae veniunt. Sed febres acutae vnius eiusdem generis dantur, quae exanthematibus modo stipatae sunt, modo iisdem carent, v. c. dum rubeolae, morbilli, variolae, purpura &c. epidemice grassantur, quaedam subiecta eadem febre laborant, sed nulla exanthema in illis conspicuntur. Dn. Thom. Sydenham in

A 2

opusc.

opusc. med. f. 1. c. 2. de morbis epidemicis, cum variolae, inquit, latissime depopulantur, febris illo tempore oberrans eiusdem plane inflammationis est particeps, quae variolas parit. Dn. Frid. Hoffmann med. rat. system. tom. IV. sect. I. c. X. catarrhalium, inquit, malignarum exanthemata non sunt causa, sed effectus, nec quidem perpetuus. Grassantibus morbillis vel variolis, eandem febrem epidemicam in subiectis quibusdam, sine exanthematibus, obseruauit. In aliis, praesente ista febre, variolarum eruptionem frustra exspectabam; sed febre iam prorsus cessante, nonnullis hebdomatibus post, accidente novo contagio, febris iterum accendebatur, atque variolae efflorescebant. In nonnullis febre epidemica laborantibus non nisi vna exanthematum species, in aliis duae, plures-ue simul v. c. erysipelas & purpura, haec & petechiae, variolae & purpura, variolae petechiae & carbunculi, & quidem in casu posteriori malo plerumque omne, cernuntur; id quod etiam Dn. de Swieten in comment. ad Boerhaauii aphorismum DCCXXXIII. testatus est. Quin vnius eiusdemque generis exanthemata multum, respectu indolis, inter se differunt v. c. datur purpura alba sat cito pus contrahens, nullumque periculum portendens, eamque febris moderata, atque symptomata mitia comitantur, & sudores critici erumpentes acidum redolent. Saepius autem cum febribus catarrhalibus epidemicis purpura saniosa, pessimae indolis, aliaque praua symptomata v. c. in-

PROOEMIVM.

5

inflammationes septicae, deliria, coma, conuulsiones &c.
coniuncta sunt, & sub illius eruptione morbus non
leuatur, & sudores aliaeque excretiones putridum
olent. Teste Dn. I. G. Brendel opusc. med. pr. II. diss.
IV. p. LXXXVII. purpurae albae cum febre acuta duae
species, plane diuersae & ratione exanthematum, fe-
bris, moris & periculi vitae, dantur. Hanc exanthe-
matum speciem non nouam esse, vt aliqui arbitriati
sunt, sed iam Hippocrati, aliisque veteribus, notam
fuisse, obiter notare volui; ille enim epid. 1. II. sect.
III. in febribus, inquit, aestiuis miliariae aspretni-
nes siebant, quae vsque ad iudicationem perseuerab-
ant. Febres catarhales epidemicae cum erysipelata
diuiso, vel continuo, totam scilicet corporis periphe-
riam occupante, coniunctae, diuersissimae quoque in-
dolis sunt. Vidi rubeolas, morbillos atque febrem
rubram leni febre stipatas, & sine ominosis symptom-
atibus decurrentes. In aliis epidemiis subiectisque
pessima symptomata, febrem vehementem, inflamma-
tiones septicas, deliria, comata & conuulsiones exere-
bant; quin rubrum colorem in fuscum vel liuidum,
cum lethali euentu, mutatum vidi. Variolae puru-
lentae, in primis discretae, symptomatibus prauis ca-
rent, &, secundum Dn. Boerhaavii effatum, soli me-
thodo antiphlogisticae obtemperant; quin, sibi relictae,
sine omni periculo, leniter decurrunt. Sed longe
alia saniosarum ratio est; graibus enim symptomati-
bus stipatae sunt, & periculo minime carent. Has,

A 3

tem-



tempestiuo corticis Peruuiani atque spiritus vitrioli v̄su, in purulentas modo non semper mutari posse, obseruau. Gangrenosae vero omnium pessimae, atque vt plurimum lethales, febre vehementer, haemorrhagiis praeter naturalibus, sanguinis resolutioni debitibus, inflammationibus septicis, deliriis atque conuulsionibus stipatae sunt, illisque etiam petechias, quandoque etiam carbunculos, cito in sphacelum transeuntes, admixtos fuisse, vidi. Nec ipsae petechiae semper vnius eiusdemque indolis sunt. Illas quandoque non nisi rubras esse, & satis leniter transire, obseruau. In aliis vero liuidae, quin nigrae & foetentes, pessimisque symptomatibus, inflammationibus septicis, continuis deliriis, comate atque conuulsionibus comitatae erant. Me petechias copiosissimas nigras, ad pisi magnitudine accedentes, & pessime olentes, in puer, cum lethali euentu, videre, memini. Quin & vibices atque carbunculos, petechiis iunctos, in epidemia quadam obseruau. Dantur etiam morbi, in quos exanthemata sponte non cadunt, sed mala arte in iis demum producuntur; potulenta scilicet & pharmaca exaestuantia, cum regimine calido, culpae proxima sunt. Hoc modo febri catarrhali benignae, arthriticae atque biliosae purpuram albam superueruisse, &, mutatis pharmacis atque regimine, sine periculo recessisse, a me obseruatum est. Puerarum purpura, nisi a vehementer vteri inflammatione sit, consimili erroneae trationi debetur. Quaedam tamen exanthemata v. c.

va-

variolas, rubeolas, morbillos, interdum etiam purpuram, quodammodo critica esse, non nego; nam post illorum eruptionem symptomata mitiora fieri, atque aegroti meliuscule se habere solent. Id nisi fiat; eiusmodi exanthemata securitatem minime pollicentur. Dn. D. W. Triller opusc. med. vol. II. p. CCCXVIII. purpurae, inquit, criticae non semper satis tuto est fidendum, nisi caeteris salutaribus signis simul praesentibus. Dn. I. G. Brendel l. c. pr. III. p. XCIV. quaedam, ait, exanthemata febrilia verissima crifum imperfectarum species sunt, quae ad febrem vrticatam, miliarem, rubram, morbillos & variolas in primis pertinent: vel ichor cruentus, aut humor corruptus, extra vasa missus; quod de petechiis, maculis & vibicibus credibile est. Quae cum ita sint; febrium acutrum diagnostin, prognostin, atque medendi methodum non ex solis exanthematibus, sed ex tota morbi historia, seu caussis, febre, omnibusque symptomatibus collectis, atque inter se comparatis, desumendas esse, censeo. Dn. Thom. Sydenham in praefatione ad opuscula medica, morbi, inquit, reperiuntur, qui sub eodem genere ac nomenclatura redacti, ac quoad nonnulla symptomata sibi inuicem consimiles; attamen natura inter se discreti, diuersum medicandi modum desiderant. Idem autor opusc. med. sect. VI. cap. I. Febris, inquit, ipsa pro morbo primario habenda est. Reliqui affectus, a quibus vt plurimum morbi isti nomen mutuantur, symptomata sunt, quae vel peculia rem

rem criseos modum, vel partem, in quam morbi vis
ruit, praecipue spectant. Cum igitur in febribus epi-
demicis catarrhalibus malignis exanthemata modo ad-
fint, modo non conspiciantur; speciminis loco, earum
indolem ostensurus, easque non ex solis efflorescen-
tiis, sed ex tota sua historia, cognoscendas, diudi-
candas atque tractandas esse, demonstraturus sum.

CAPVT I.

PATHOLOGICAM FEBRIVM CATARRHALIVM
EPIDEMICARVM MALIGNARVM
CONSIDERATIONEM SISTENS.

§. I.

Eius de-
finatio.

Febris epidemica catarrhalis maligna, veterum quo-
tidiana serosa, continua, vesperi paroxyzans, pe-
riculosis symptomatibus stipata, atque, ex causa com-
muni, plures eodem tempore aggrediens, est. Exacer-
bationes eius quandoque etiam diebus alternis vehe-
mentiores notabilioresque esse solent. Alii febrem
hanc catarrhalem putridam, a diathesi humorum pu-
trido - acri, & inflammationibus septicis, illi familiaribus,
alii petechizantem, ob symptomatum cum febre
petechiali conuenientiam, nominare solent. Galenus
in definitionum libro, ob insidiosam indolem, specie
leuem, potestate magnam grauemque, & certa criseos
tempora non habentem, appellat. Non inter homines
solum



solum, sed etiam inter bubulum genus, haec febrium species haud raro longe lateque grassari, multasque strages edere, solet. Nec, plerasque febres malignas castrenses his accenseri posse, dubito.


§. II.

Ab aliis morbis, similitudinem quandam cum illa Diff-
habentibus, febris haec facile distinguitur, v. c. a ca-rentia.
tarriali benigna, veterum quotidiana, quae, licet
etiam continuis, vespere exacerbationes habentibus, ac-
censeatur, multo mitioribus tamen symptomatibus sti-
pata est, breuiore circuitu gaudet, atque sudoribus
criticis plerumque soluitur. Dn. Ludwig in institu-
tionibus clinicis §. CXX. catarrhalis, inquit, maligna
symptomatum vehementia a benigna distinguitur. Licet
etiam haec febris, in corpora impura incidens, sympto-
mata consuetis deteriora exerat; attamen ad deleteriam
malignarum indolem minime accedit. Cholera quidem
etiam epidemice, in regionibus temperatis rarius tam-
en, grassatur, cum febre continente vehementissi-
misque euacuationibus coniuncta est, & non, nisi sub
excessu aestatis caloribus, oritur. Sed catarrhalium
malignarum epidemia in autumni tempora, coelo mul-
tum pluvio atque instabili foedata, incidere solet.

§. III.

Fomite catarrhalium malignarum concepto, ante-Sympto-
quam ipsa febris accendatur, aegrotare incipientes in- mata

B signi




signi mentis torpore, corporis lassitudine, atque appetitus prostratione afficiuntur, somno quieto ac reſciente non gaudent. Symptomata haec integrum octiduum explere solent, ante quam tragoe diam suam, cum magna vehementia, morbus adornet.

§. IV.

Morbi ingruentia. Ipsa febris versus vesperam magno horrore, ad vnam alteramue horam extenso, in dorso & lumbarum regione in primis sensibili, grauedine, coryza, tussi, maxima virium prostratione, nausea, cardialgia, quandoque etiam vomitu, atque cephalalgia incipit, & postea frigus febrile aestus mordax, pulsus celer & debilis, atque vehemens sitis excipiunt. Dictam pulsus conditionem inter signa febrium malignarum pathognomica, caeteris paribus, referre possumus.

§. V.

Continguit. Sub ipso morbo aestus increscit, cautis arida, & lingua sicca & scabra, quandoque aphthis obsita, est. Aegri artuum dolores quasi rheumaticos, atque tendinum subsultus sentiunt. Non pauci doloribus colicis & alui fluxu laborant. Cephalalgia augetur, & per se in phrenitidem & coma degenerat. vid. Dn. I. G. Brendelii diss. de cognitione phrenitidis & febrium malignarum. Nec defunt exempla, vbi morbo incipienti phrenitis, malo omnine, statim superuenerit. Symptomatis his inflammations septicae v. c. angina, peripneumonia, mesenteritis &c. saepius iunguntur.




tur. Lotium parum vel nihil rubet, atque enorema quoddam, insidiosum coctionis, tum nondum expectandae, simulacrum ostendit. Nonnulli micturitione, infausto quoque omne, diuexantur, in nonnullis exanthemata vnius vel varii generis, die quarto vel septimo, quandoque etiam citius, & hoc quidem malo praesagio, erumpunt, alii vero iisdem carent. vid. Dn. Ludwig in praxi clinica §. CXXI. Haemorrhagiae symptomaticae, resoluto sanguini debitae, vel huius effusio sub cuticula nonnisi in paucis, & quidem cum pessimo omne, comparent. Morbo male cedente, conuulsionibus aegroti, cum certo maximoque periculo, corripiuntur.

§. VI.

Morbo bene cedente, sub diarrhoeae exortu & moderata continuacione, post alteram tertiamue hebdomadem nantis. Decli-
paraphrentis & coma, saltim interdiu, se remittunt, &
aegri quasi ex somno profundo excitantur, summam
mentis corporisque debilitatem, atque huius emaciatio-
nen sentiunt. In catarrhali maligna enormem corpo-
ris contabescientiam, quasi heptoideum aliud coniunctum
esset, aegrotos pati, a Dn. Ern. Stahlio aliisque
obseruatum est. vid. Commerc. liter. Nor. anni
NDCCXXXV. p. CLIII. Corpus madescere incipit,
& haec diapnoë nonnullas septimanas salutariter con-
tinuat, & alius, antea fluxa, siccior fit. In nonnullis
vero excretio peripherica, sub ipsa moderata diar-
rhoea, & sine exanthematum retrocessione, citius ac-
cidit.

B 2



cidit. Has febres, non ut caeterae acutae, crisi, sed lyfi, pedetentim solui, generatim notandum, atque in earum curatione imitandum est. Diuturniore decubitu supino ad os sacrum atque coccygis inflammations atque exulcerationes, curatu difficiles, oriuntur; id quod ab Aëtio l. V. c. CXXIX. iam annotatum est. Superato morbo, virium refectio & corporis incrementum tarde procedunt; ita, ut per trimestre vel quadrimestre spatium, se grauiter aegrotasse, conualescentes satis sentiant.

Schol. Enumerata haec symptomata in febre catarrhali maligna laborantibus comparere, non solum ab autoribus fide dignis, sed ipsa experientia, comprobatum est; caeterum ipsam tolerabiliorem vel grauiorem epidemiae indolem, subiectorum habitum antea bonum vel malum, temperamentum, aetatem, & rectam vel erroneam tractationem, addendo, demendo, alterando, quaedam mutare posse, concipi, atque facile concedi potest.

§. VII.

**Causae
proca-
tarsti-
cae.** Sub coelo admodum humido atque variabili, maxime tempore autumnali, quales aëris constitutiones annis huius saeculi septuagesimo primo & secundo habuimus, transpiratio diu multumque supprimitur, & eo ipso recrementa acria, atque in putredinem prona, in corpore nostro retinentur atque cumulantur; quae dein consimili labe humores nostros afficiunt, febrem accidunt, & reliqua mala huius morbi symptomata sensim producunt. Hanc ob causam fere per totam Ger-


Germaniam, & regiones quasdam vicinas, dictis annis, febres catarrhales malignae graflatae sunt. Itinera tum temporis facientes, & transpirationem multum laeden-tes, p[re]e aliis, hoc morbo correpti sunt, & postea, in commorationis loco, largas v[er]tiori contagio occasio-nes dederunt.

§. VIII.

Eandem hanc caussam a Medicis exercitatissimis Testimo-niam diu agnitam fuisse, testimoniiis quibusdam corro-boratum ibimus. Hippocrates I. II. de diaeta, quid-quid, ait, ab excretione peripherica intus remansit, non solum corpori laborem exhibet, sed etiam ei parti, quae humiditatem suscepit; non enim commo-da est corpori, sed infesta, & circuitum non habens, tum ipsa calefit, tum quae allabuntur; vnde totum corpus incalescit, & febris vehemens accenditur. Dn. Frid. Hoffmann med. rat. syst. tom. IV. sect. I. cap. X. §. VI. epidemicæ, inquit, hae febres ab extraordi-naria temporum anni tempestatumque constitutione fiunt, qua multa in corpore recrementa oriuntur, &, im-pedita eorum per cutis poros secessione, accumulan-tur. Idem autor I. c. cap. XI. §. IX. primam, ait, har-um febrium, contagio infestarum, originem ex com-muni aëris vitio deducendam esse, cum Hippocrate, reor. Diuturnus nimirum humidus aër vim elasticam, quae fluidorum ac solidorum motum, ad vitam ne-cessarium sustinet, obtundit; vnde salutiferae exeretio-nes, maxime perspiratio, elanguescunt, inutiles &

B 3

cor-



corruptae partes retinentur, quibus in sanguine & humoribus accumulatis, non potest non gigni ad dissolutionem & corruptionem prona dispositio. Dn. C. G. Ludwig. in med. clin. §. CXXIV. & CXXVI. subitaneas aëris vicissitudines, quibus transpiratio iterato supprimeretur, acresque particulae ex corpore excernendae retinerentur, etiam accusavit. Nec difficile es-
set, magnum hic autorum numerum citare, qui ab eadem causa febres catarrhales epidemicas deduxerunt.

§. IX.

Contagium.

Febre catarrhalis maligna correptus putrido - acribus suis effluviis sanos, sibi appropinquantes, teste experientia, inficere potest. Hoc non solum de hoc morbo laborantibus, sed etiam eodem extinctis, citissimam putredinem concipientibus, contra nonnullorum opinionem, affirmari potest; cuius vtriusque contagii plura tristia exempla mihi innotuerunt. Non ea quidem mens nostra est, ac si tota aëris atmosphaera contagio infici posset; caeteroquin morborum pestilentialium progressum militibus stationariis impedire, in cassum foret. Loca autem particularia v. c. aegrotorum cubicula, aedes, pagos, vrbes, particulis putrido-causticis repleri posse, experientia satis loquitur, & loca aquis putridis adiacentia, quarum effluviis aër corruptitur, satis euincunt. Dn. T. Sydenham opusc. med. sect. V. c. IV. nulla, inquit, diathesis maligna in ipso aëre supponi debet; caeteroquin eiusmodi consti-
tutio-

tutionem quilibet aëris motus diffidare posset; sed hunc vel illum particularem aëris tractum noxiis effluuiis repletum esse, vero simile est. Idem autor l. c. cap. V. solum, inquit, morbo maligno correptus spirituum emissione inficit, qui humores mox inquinandos sibi assimulant.

Schol. Eiusmodi effluvia putrido acria immediato contactu, adeoque physice, nocent; nec in illorum sententiam transire possum, qui, ex solo terrore contagium fieri, perhibent. Morbi brutorum contagiosi, quae horum periculorum prorsus nescia sunt, late grassantes, & contagio plurimum nocentes, id fatis euincunt.

§. X.


Particulas putrido acres, vel causticas, ob vehemen- Cauſſa tem crebrioremque transpirationis suppressionem, hu- proxima. morum massae admixtas, atque hos in solutionem putrido acrem cientes, febrem accendentes, partes molles solidas septica inflammatione, veneni instar, adſicientes, & reliqua prava ſymptomata ſensim producentes, poffimi huius morbi cauſſam proximam conſtituere, arbitror. Sanguis in his febribus ex vena ſe- et a missus fluidiſſimus ac ſerofus deprehenditur. Aretaeus de cauſis & signis acutorum morborum l. I. c. VII. ſucci, inquit, perdentis intra corpus ſunt, & exterius, & morbi quoque venenis, ſeu pernitiosis pharmacis, ſimiles ſunt.

§. XI.

Dn. T. Sydenham opusc. med. ſect. V. c. V. ma- Testimo- lignitas, ait, omnis febribus epidemicis competens, nia.

par-





particulis causticis, volatilissimis, humorum naturae aduersantibus, consistit, quae assimilando agentes, eos subito alterare possunt. Dn. Frid. Hoffmann med. rat. syst. tom. III. sect. I. c. VIII. §. IV. formalis, inquit, harum febrium ratio in humorum dissolutione consistit: Hanc fieri, extraordinarius atque intolerabilis sordium, per aluum, sudorem & vrinam copiosissime secedentium, foetor planum testatumque facit. Idem autor l. c. §. VIII. materia, ait, perspirabilis retroacta, aut retenta, haud secus, ac mortiferum venenum, ob penetrantem subtilitatem, infesta semina per vniuersum corpus prompte spargit, partes exquisitissime sentientes atrocissime adoritur; vt vehementissimae, quin lethales, affectiones inde oriuntur.

§. XII.

Prognos-
sis gene-
ralis. Ex mala materiae peccantis indole, symptomatum grauitate, & stragibus, quas febres catarrhales malignae edunt, eas periculi plenissimas esse, facile constat. Dn. Io. Zach. Platner in arte medendi singulis morbis applicata §. CXXXI. catarrhalis, inquit, maligna nunquam sine periculo, saepe funesta est. Huic stipulatur Dn. C. G. Ludwig in med. clin. §. CXXVII. haec febris, inquiens, nunquam sine periculo, & saepius molestissima est; in primis cacochymici grauiores morbi impetus experiuntur. Morbum hunc contagio nocere, & hoc etiam a morte cauendum esse, supra iam monui. Hoc subiectis iunioribus maxime periculo.

❖❖❖

culosum est. Dn. Frid. Hoffmann med. rat. system, tom. IV. sect. I. c. X. §. VII. effluvia, inquit, febribus exanthematicis grauiter decumbentium, aut mortuorum, dispositionem habentes inficiunt. Ne igitur hominum turba aegrotorum lectulos circumstet, vel corpora mortua, pro stolida vulgi consuetudine, minus cautorum conspectui exponantur, caendum est. Crisibus copiosis morbus hic non iudicatur, nec hae expectandae, aut temere, & cum certa pernicie, cendae sunt. Lentis potius motibus materia ex humorum massa fecernitur, & sensim, primo per aluum, dein per cutis spiracula, atque vrinae itinera, quandoque etiam subortis expanthematibus, ex corpore proscribitur. Dn. C. G. Ludwig l.c. §. CXXXIII. lenta, ait, materiae morbosae resolutione, seu lyfi, febres hae soluuntur, in qua omnia colatoria, eodem fere modo, vt in statu naturali, peruerse mixtas & noxias humorum particulas blande subducunt; quo facto, vires sensim increscunt. Conualescentes ad integritatem quam tardissime redire, iam supra indicatum est.

§. XIII.

Magnus diutiusque persistens horror, qua eiusmodi Prognostes incipiunt, de morbo magno atque periculo sis infastatur. Vid. Dn. D. W. Triller diss. de horrore in sta. febribus exanthematicis signo plerumque lethali. Wittenb. 1772. Vomitus vehementes, angina atque deliria statim accendentia, pessimi ominis sunt. Nec paraphreni-

C tis



tis continua, morbo nonnullis diebus post superueniens, sine magno periculo est. Idem de comate perdurante, nec non de conuulsionibus accendentibus, vallet. Dn. C. G. Ludwig l. c. §. CXXXIII. materia, inquit, morbi acris ad organa vitalia & neroos ducta subito interficit. Exanthemata in morbi initio, sub vehementissimis symptomatibus, erumpentia, & illum minime levantia, mali ominis sunt. Febris haec corpora impura v. c. scabiosa, senilia, cacockymica, aliisue morbis chronicis, viscerum obstructionibus, affecta, aggrediens vix vnquam salutari euentu finitur. Morbo imperfecte iudicato, metastases ad articulos fieri, tolerabile, ad viscera nobiliora v. c. cerebrum, pulmones, mesenterium &c. accidere, malum est.

§. XIV.

Vlterior. Vehemens virium prostratio, anxietas atque inquietudo malis signis accensenda sunt. Teste Dn. C. G. Ludwig l. c. §. CXXVII. subitanea virium prostratio, summaque inquietudo, prae aliis signis, pericula imminere, testantur. Aluus adstricta, vel laxa subito iterum cohibita, aut fluida sero contingens & sphacelosa, ominosis signis annumerandae sunt. Dn. Io. Zach. Platnerus in method. med. singulis morbis applicata §. CXXXVIII. aluus, inquit, adstricta febrem longe peiores reddit. Diarrhoea aliae excretione comparentibus, aegrotus meliuscule se habere videtur, sed illis cito iterum euanescentibus, omnia subito in peius ruunt. Id Dn. I. G. Brendelius in dif-

ferta-

sertatione supra citata §. VIII. indicasse videtur, nonnulli, inquiens, sub morbi decursu melius se habere videntur; id vero sine ratione contingit, & pessimae fidei est. Crebrior micturitio, de insigni humorum resolutione atque acrimonia indicium praebens, mala est. Idem de mictu cruento, aliisque haemorrhagiis praeternaturalibus, sanguinis resolutioni debitum, tendendum est, & neminem his affectum conualescere vidi. Dn. Frid. Hoffmann l. c. tom. IV. sect. I. c. VII. §. XIV. haemorrhagiae, inquit, magnam sanguinis acrimoniam & colligationem indicant, atque omen pessimum, plerumque lethale, praebent. Dn. Io. Gottl. Panzer in diss. Altorfii MDCCLIV. edita, mensum fluxum febribus malignis superuenientem ut plurimum funestum esse, testatus est.

§. XV.

Inflammationes febribus catarrhalibus malignis superuenientes pessimi quoque omnis sunt; quia, ob matioprauam materiae indolem, cito in gangraenam atque sphantes maculum transeunt. Prae reliquis partibus, cerebrum, fauces, lae. pulmones, mesenterium atque intestina, illis aggrediuntur. Dn. I. B. Morgagnus de sedibus & caussis morborum per anatomen indagatis l. IV. ep. XLIX. art. XXXV. in febribus, inquit, malignis viscerum inflammationes in gangraenam degenerant. Teste Dn. C. G. Ludwig l. c. faucium inflamatio in morbis malignis ut plurimum funesta est.

C 2

§. XVI.



§. XVI.

Oedema Vbi, post malignas exanthematicas, maxime erysi-
vniuer- pelaceas, aëris iniuriis se iusto citius aegri exponunt, at-
fale ma- que transpirationis materiam retroagunt; tumor totius
lum. corporis oedematosus, cum lotio turbido, nigrescente, cito
oritur, qui periculo minime caret, &, nisi correcto regi-
mine, atque diureticorum & laxantium usu, in tempore
obuiam eatur, aegrotos e medio ocyus tollit. Eiusmodi
tumorem alterum istorum morborum periodum esse,
nonnulli pereram crediderunt.

§. XVII.

Progno- Deliria non nisi noctu comparentia, atque inter-
sis fau- diu quiescentia, non adeo extimescenda sunt; licet
sta. etiam sub ipsa morbi remissione aliquamdiu perdu-
rent. Largum saliuæ profluuum febribus epidemicis
malignis cito superueniens, & aliquam diu persistens,
salutare est. In muliere hoc morbo laborante illud
tam copiosum vidi, ac si Mercurium, ad saliuam arte
ciendam, assumisset. Eiusmodi febres, praeter dia-
rroes, atque abscessus in partibus ignobilioribus fa-
ctos, uberiore saliuæ viscidæ profluvio solutas esse,
Dn. Helwigius obseruauit. Vid. Comm. lit. Nor.
MDCCXLV. p. CLXXVII. Arenulas, seu potius sa-
lis nativi vrinæ moleculas, in lotio comparentes inter-
fausta signa referendas esse, Dn. I. W. Tichy in diss.
de arenulis in lotio apparentibus, ut infallibili salu-
taris morborum euentus signo prognostico, Praegae
MDCCCLXXIV.

MDCCCLXXIV. edita, asseruit. Me, sine hoc signo,
salutares febrium malignarum exitus saepius obseruas-
se, pro certo affirmare possum.

§. XVIII.


In febribus catarrhalibus malignis diarrhoeam, ali-
quot diebus post earum initium accedentem, atque per rior.
totum morbi decursum persistentem, admodum salu-
tarem fuisse, saepius animaduerti, etiam in eiusmodi
casibus, vbi deliria cum comate alternantia, per vnam
alteramue hebdomadem nocte dieque perseuerabant,
nec, exanthemata ideo recessisse, vidi, exceptis tamen
petechiis, quae criticae non sunt, & quarum dispa-
rentia sub diarrhoeis innocua est. Rem ita se habere
a Medicis peritissimis exercitatissimisque, tam veteri-
bus quam recentioribus, obseruatum, atque uno ore
affirmatum est. Febribus acutis epidemicis laborantes
alui excretionibus sanatos esse, Hippocrates in epidem.
asseruit. Multas epidemicas constitutiones alui fluore
iudicatas esse, apud Galenum epidem. sect. IV. §. XXI.
legimus. Gerh. Columba de febre pestilente p. CCXXXI.
omnes, inquit, quibus aluus copiose eiecit, licet cum
signis cruditatis fuerit, tandem liberati sunt; proce-
dente enim alui fluore, coctionis signa indies superue-
niebant, morbus clementior euadebat, & tandem, alui
fluore perseuerante, aegri integre iudicabantur.

§. XIX.

In febribus petechizantibus diarrhoeas alui ob- Alia te-
strectionibus meliores esse, Dn. G. E. Stahl in opusc. stimonia.

C 3

phys.



phys. chem. med. MDCCXCVIII. testatus est. Dn. Frid. Hoffmann l. c. tom. IV. sect. I. c. VIII. §. XVI. in catarrhalibus, inquit, malignis exanthematicis alui profluum non nocet, sed potius remedio est, & malignos humores optime expurgat. Idem Autor l. c. cap. X. §. III. salutare, ait, indicium est, si aluus per aliquot dies fluit, & quidem tanto certius, si pulsus plenior, tardior & aequalis fit. Idem in opusc. phys. med. pr. I. p. CLV. afferuit, semper tutius ac melius fuisse aegris, quando aluus fluida & lubrica esset, vel leuis diarrhoea versus dies criticos accessisset, quam si sicca duraque permanisset: hoc modo petechias ac miliares plurimas sanatas esse. In febre caestrensi MDCCXXXV. grassante diarrhoeam, etiam diu durantem, pernitiosam non fuisse, Dn. I. G. Hasenest in comm. liter. Norimb. MDCCXXXVI. p. CV. testatus est.

Obs. Viri cuiusdam febre miliari epidemica laborantis casus mihi innotuit, qui & excretione peripherica atque diarrhoea copiosa, sine vlla exanthematum retrocessione, gaudebat, & postea cum sanitate perfecte in gratiam rediit.

Metasta-
ses.

§. XX.

Lysi ex sententia non succedente, metastases materiae impurae versus aures, aut articulos, contingunt, quae, caeteris bonis signis concurrentibus, non autem in casu contrario, rectaque curatione statim adhibita, bonam convalescentiae spem faciunt. Dn. C. G. Ludwig l. c. §. CXXVII. coctionis, ait, signis comparibus, & aliqua morbi remissione obseruata, stupor & tor-

torpor moderatus cum surditate nonnunquam bonum exitum, lentumque materiae morbosae separationem atque expulsionem, indicant. Dn. I. G. Erendel l. c. In his febribus abscessus, inquit, aliquando succedunt, quas & arte imitari, atque diutule suppurationem ali, e re est.

Obs. A temerario imprudenteque discutientium contra eiusmodi metastases vsu nonnullos casus tragicos, citoque lethales, vidi.

§. XXI.


Impuritatibus crudioribus diarrhoeae continuantis Morbi
beneficio ex corpore eductis, cutis mollis fit, & dia-
pnœa largiore morbus sensim prorsus soluitur. Excre-
tio haec peripherica, materiae peccantis subtiliores re-
liquias ex corpore proscribens, & quovis intuitu ad-
modum salutaris, nonnullas hebdomades, inprimis ve-
spere & noctu perdurat, moderatoque regimine caute-
sustinenda, nec aëris immidis accessu suppressimanda est;
ne morbus cum certo periculo recurrat, vel tumor
totius corporis oedematosus, cuius supra mentionem
feci, aut metastases ad viscera nobiliora, horumque
periculofæ inflammations, suboriantur.

CAP. II.

THERAPEUTICAM FEBRIVM CATARRHA-
LIVM MALIGNARVM TRACTATIONEM
PROPONENS.

§. XXII.

In admodum variabili aëris constitutione, atque Prophy-
sub laxis.



sub coelo diu multumque frigido, febris catarrhalibus malignis fauente, transpirationis custodia magnopere commendanda est. Tum temporis igitur aëris nocui iniuriis se exponere, longiorae itinera suscipere, minime conuenit; sed potius illa euitare, & frigus humidum vestimentis aptis a corpore arcere, admodum salutare est. Eadem haec in ipsa eiusmodi epidemia seruanda sunt, & bona atque acida diaeta vtendum est. Vinum bonae notae subacidum hic in primis commendabile est. Teste Dn. Frid. Hoffmann l. c. tom. IV. sect. I. c. X. §. I. moderatus vini aciduli v. c. Rhenani, vsus ad auertendos hos morbos maxime vallet; digestionem enim iuuat, sanguinis circuitum atque excretiones auget, & putredini resistit. Praeter ea periculose aegrotantium cubicula, quin & commercium cum personis, earum curam habentibus, euitandum est; nam hos morbos contagio nocere, nulli dubio subiacet. Confluxus hominum ad grauiter decumbentium lectulos neque illis, neque ipsis aegrotis, vtilis, atque a Medicis, aliisque prudentioribus, praedicto periculo, cohibendus est. Quorum vitae genus, vt aegrotorum curam habeant, exigit, dicta diaeta acida vtantur, non iusto diutius in aegrotorum cubiculis commorentur, atque, vt, ante ingressum suum, aëi impurus noui accesu, atque suffimigiis acidis atque balsamicis, corrigatur, procurent. Lectulis, curae gerendae caussa, vetulæ tutius, quam subiecta iuniora, contagio suscipiendo proniora, adsident.

§. XXIII.


❖ ❖ ❖ ❖

§. XXIII.

Regimen aegrotorum temperatissimum fit; ergo Aegro-
non nisi leuiter contegendi, atque in tepidario maio- torum
ri, minime calido, & si plures aegrotent, quilibet in
proprio, detinendi sunt. Regimen contra calidum pe- regimen.
stiferum est, sub quo morbus quam celerrime in pe-
ius ruit. Dn. Frid. Hoffmann l. c. tom. IV. sect. I.
c. X. sub nimio, inquit, aestu dissolutorius in sanguine
motus magis intenditur, humores acres acuntur,
atque anxietates augmentur. Dn. Thom. Sydenham
opusc. med. sect. III. c. II. caloris, inquit, gradus na-
turalis sit, & qui hunc excedit, aut ab eo deficit,
vtrinque periculosus est. Aēr impurus crebriore pu-
ri admissione, suffimigiis conuenientibus, atque paui-
menti humedatione corrigendus est. Situs corporis
erectus, ob lipothymiae metum, dissuadendus, & lecto-
rum cubiculorumque mutationes, in primis vbi exan-
themata adfuerint, interdicenda sunt. Ob noeciuos
eiusmodi errores, quosdam subito e vita sublatos es-
se, memini. Erumpente diarrhoea, linteaminum con-
spurcatorum tempestiu ablatione, nouorumque sub-
stratione, munditiei continua opera danda est. Dn. Fr.
Hoffmann l. c. cap. XI. mutationes, inquit, linteaminum,
indufiorum & stragulorum, nec non transitus
ex uno lecto in alterum, omni modo fugienda sunt;
ne lipothymia obrepat, & materia exanthematica re-
tropellatur, atque, ad neruosas partes delata, conuul-
siones, deliria ac sphacelationes funestas suscitet.

D

§. XXIV.



§. XXIV.

Diaeta.

Tam graui morbo laborantibus multa alimenta obtrudere, stolidum atque nocium est, &, si vñquam, sane hic, effatum Hippocratis, quod, quo magis corpus impurum nutriatur, eo magis laedatur, locum habet. Alimenta lenia, morbi caussae proximae opposita, atque analeptica dedisse, satis est. Pulpa pomorum acidorum, Borsdorffianorum, gelatina ribesiorum, iuscula ex cerasis acidis fccatis parata, decocta panis, hordei, auenae excorticatae, succo citri condita, huic scopo accommodata sunt. Brodium ceraforum acidorum febre putrida laborantes, in ipso delirio, aide, cum salutari effectu, bibisse, memini. Aqua fontana pura, acidis vegetabilibus vel mineralibus, vel syrups & rob. acidis, ad gratiam condita, pro potu ordinario vtiliter exhibetur. Decoctum hordei cum syrupo violarum & clystso antimonii in febribus ardentibus, malignis & petechizantibus, profuisse, Dn. Coehausen in commerc. lit. Nor. MDCCXLIII. testatus est. Decoctum Corticis Peruiani aquosum dilutum, salis communis acido conditum, eodem scopo a Dn. Will. Fordice in disquisitione caussarum, symptomatum & curationis febrium putrido septicarum, Lipsiae MDCC-LXXIV. in Germanicum idioma translata, recte commendatum est. Idem a Dn. T. Thomlison in miscellaneis medicis, Londini MDCCCLXIV. editis, laudatum est. Serum latis acidum, a Dn. Sydenhamo commendatum, in his morbis etiam perutile est.

§. XXV.

§. XXV.

Cum in eiusmodi morbis non cryses, sed lyses, ex Methodo peccandae sint, & natura materiam peccantem sensim, & med. ge- quidem primo per seri effluvia, vomitum atque diarrhoeas, neralis, postea per diapnoen elliminet, eius motus attendendi, & suo quilibet tempore, sustinendi, ac caute iuuandi sunt. Pessime vero hic agunt, qui motus statim impetuose ciendos, atque calidis alexipharmacis exanthe- mata expellenda, atque sudores mouendos esse, falso autumant. A nocua hac methodo omnia cito exacer- bata, & lethalem exitum maturatum fuisse, a me sae- pius obseruatum est. Dn. G. E. Stahl in theoria med. p. CCXXXVI. inquit: cum febres malignae & pesti- lentiales ipsae leues motus secretorios & excretorios prae se ferant; maxime aequalibus motibus horum ge- nerum materiae, ad sui eliminationem, tractandae sunt. In vulgari turbulenta praxi contra hoc genus offendio insignis committi solet, in primis alexipharmacorum atque regiminis sudoriferi vsu incondito. Dn. Fr. Hoff- mann I. c. XI. §. III. pessimus, inquit, practicorum mos est, statim in morbi principio volatilia, bezoardica & sudorifera, cum regimine calido atque infuso theaeformi, exhibere; sic enim motus ille putredinosus cum orgasmo inualescit, maiorque virium prostra- tio oritur. Cum his Dn. I. G. Brendel consentit, in diff. de seniori euacuantium vsu in quibusdam acutis §. IV. sub ancipiti, inquiens, & maligna sudorum spe, quin hos inter profusissimos, atque inter densa exan-

D 2

the-



themata, symptomata exacerbantur, omniaque in deteriorius & mortem ruunt.


§. XXVI.

Continuatio.

Curationis autem cardo eo redit, vt per totum morbi decursum materia putrido acri corrigatur, motus excretorii, suo quilibet tempore, iuuentur, vires refocillentur, atque symptomatibus urgentioribus tempestiu obuiam eatur. Qua ratione haec obtainenda fint, in sequentibus ordine enarratus sum, si antea, quid in his morbis de venaesectione statuendum sit, cum de ea Medici ambigant, proposuero.

§. XXVII.

An san-
guis mit-
fic dictis, aliisque morbis plethorae debitis, vel saltim
tendus? cum illa coniunctis, sanguinem mittere, & utile & ne-
cessarium est. At cum in catarrhalibus malignis humores
non tam quantitate, sed potius qualitate, seu cacochymia
putrido - acri, peccent; morbus per se venaesectionem
non indicat, atque hoc remedii genus causae morbi
auferendae ineptum est. Sanguinis missionem, ab aliis
praeceptam, in his morbis prorsus nihil auxilii tulisse,
probe memini. In plethoricis autem, praeseruationis
ergo, ante morbi eruptionem, administrata, nihil da-
mni tulisse, mihi visum est; licet morbus, pro indo-
le ac more suo, satis desaeuierit. Dn. C. G. Ludwig
in med. clin. §. CXXX, inquit: febrem hanc non a
copia,



29

copia, sed dyscrasia, humorum esse, pulsus debilis sat
tis ostendit.

§. XXVIII.


Dn. Frid. Hoffmann l. c. tom. IV. sect. I. c. X. Testimo.
venaesectio, ait, in his morbis magis ad praeseruationia.
nem, quam ad curationem, facit. Dn. C. G. Ludwig l.c.
summa, inquit, virium vitae prostratio, & vis morbi
ingens, indicationem vitalem quam maxime attenden-
dam esse, declarant: venaesectio igitur prophylactica
raro, & non, nisi urgente plethora, in morbi prin-
cipio tantum, concedenda est. Teste Dn. I. G. Bren-
del in diss. citata §. XII. in febribus inflammatoriis
plus a sanguinis missione, in malignis exanthematicis
plus a vomitoriiis, & aluum ducentibus, expectandum
est.

§. XXIX.

Cum a materia putrido-acri, vel septica, febris, Miasma-
& reliqua periculosa symptomata, pendeant; haec tis cor-
antequam irreparabiles noxas dederit, quantocvys cor-rectio.
rigenda atque obtundenda est. Cum hoc autem, ob
eius copiam, multiplicationem, atque per vniuersum
corpus distributionem, simul ac semel fieri nequeat,
sed potius eius reliquiae etiam vsque ad salutarem morbi
exitum persistant; per totam curationem eadem haec
indicatio ante oculos habenda est. Dn. Io. Bapt. Mor-
gagnus de sed. & caussis morborum per anatomen in-
dagatis l. V. ep. LXVIII. art. II. in febribus, inquit,
epidemicis malignis febrem impugnare non tanti est,

D 3

quanti



quantum adiunctam illi malignam vim, & quod difficultatem maxime auget, in singulis constitutionibus propemodum particularem. Teste Dn. Frid. Hoffmann l. c. §. IX. Non adeo scrupulosa symptomatum, sed potius affectus primarii, ratio habenda est. Decoctum corticis Peruvianiani aquosum dilutum, decocta mucilaginosa, acidis mineralibus vel vegetabilibus condita, rob & syrapi acidi, nec non sic dicta bezoardica fixa, prudenter diuque adhibita, huic indicationi omnium optimae satisfaciunt.

§. XXX.

Eius e-
vacua-
tio.

In materiae peccantis euacuatione eidem viae, quam natura ingreditur, insistendum est. Haec vero colluuiem putrido acrem crassorem primo per membranas pituitarias, & vomitum, dein per aluum, & subtiliorem denique per cutis spiracula, potissimum eliminat. Dn. Frid. Hoffmann l. c. c. X. §. IV. in his morbis, ait, crassior & mucosa pars per fauces & bronchia, bilioso - mucosa per aluum, atque subtilior per sudorem, excernuntur. Licet autem nondum ipsae hae excretiones, sed tantummodo motus ad illas tendentes, vel ipsae insufficienter adsint; v. c. grauedo, asthma, cardialgiae, alui tormina vel perturbatio, febris remissio & cutis relaxatio; attamen quaelibet suo tempore caute cienda, vel augenda atque sustinenda est; nisi sponte natura iam sufficienter accidant.

§. XXXII.

❧. XXXI.

Seri ex naribus, pulmonibus & faucibus reiectio, Seri pro-
vt & saliuae profluum, adstringentibus vel discu-fluua.
tientibus, ob statum periculosarum metum, minime
cohibenda, sed potius infusis mollientibus, commodo
aegri situ, crebriore exscreatione, narium emunctione,
mollientibus oris collutionibus &c. iuuanda sunt.

§. XXXII.

In his morbis materiam putrido-acrem primas ^{per eme-}
vias occupare, nausea, cardialgiae, vomendi conamina, tica.
ipsique vomitus, haud raro statim circa morbi initia
accidentes, satis testantur. Emeticco conueniente v. c.
radice ipecacuanne sola, vel cremori tartari iuncta,
circa morbi initium exhibita, infuso theaeformi, ad
vomitum facilitandum, superingesto, vis eius multum
infringitur, symptomata mitiora fiunt, totaque curatio
negotio multo faciliori modo non semper peragitur.
Dn. I. G. Brendel in diss. citata §. XIV. primarum,
inquit, viarum ex putri bile colluuiem vomitorio tem-
pestiuo excutiamus. Quin nota mihi sunt exempla,
vbi aegrotis, alio nondum mota, eiusmodi emetici-
cum a medico serius vocato, etiam post quintum sex-
tumue diem, salutariter praescriptum fuit, ita, vt, post
eius vium, symptomata multo mitiora facta, ipsaque
curatio felici exitu donata, fuerint. Dn. Thom. Sydenham
opusc. med. sept. I. c. IV. inquit: si mihi sero arcessi-
to, sub febris initium aegrotorum saluti, emeticum

pro-



propinando, consulere haud licuerit; certo tamen conuenire existimauerim, vt quoquis morbi tempore id fiat; modo vires eo vsque morbus non attruerit, vt emetici vim amplius ferre nequeat.

Obs. Emetici vsu in eiusmodi morbis, vel aegrotantis vel medici culpa, neglecto, nec alio in tempore sponte natura vel arte mota, rem vt plurimum male cessisse, pro certo affirmare possum.

§. XXXIII.

Aluum
mouen-
tia.


In pathologica catarrhalium malignarum confideratione, earum lysin per continuatas alui deiectiones, sponte natura, potissimum fieri, ostensum est; quam medendi methodum Dn. G. E. Stahl in theoria medica p. CCII. atque ante illum Burserus, Poliater Annaebergensis, Gerh. Columba, Messanensis, Moraeus, Bruxellensis, atque complures alii, naturae vestigia in curationibus suis prudenter legentes, etiam atque etiam commendarunt. Pessime igitur cum eiusmodi miseris agitur, vbi salutares eiusmodi diarrhoeae malis artibus cohibentur. Eiusmodi naturalibus vel artificialibus blandis euacuationibus aegrotorum vires destrui, minime timendum est, vt pote quae, colluie putrida acri sensim educta, potius insurgunt. Dn. I. G. Brendel in diss. cit. §. XIV. & XV. per omnem, inquit, morbi decursum subnascens primarum viarum ex putri bile colluuiis, inter alia remedia coercendae putrilaginis vim habentia, matutinis horis iterum iterum que

que deducamus. Nec est, ut metuas, ne vires labefiant, si aeger pluries quotidie deiiciat, nec mala e recondentibus se exanthematibus animo praecipias; seclusus omnia euenient.

Obs. Naturae conamina in alio cienda tempestiuē inuasse, semper praestantius est; non tamen desunt exempla, vbi etiam sero adhibita opem tulerint. Contra febres petechizantes epidemicas laxantia antiphlogistica, etiam post primam hebdomadem data, profuisse, in epitome obs. phys. medicarum Lond. MCCLIV. edito, p. CLII. relatum est. Alui solutionis aequae, quam emeticorum, neglectum, nocuum fuisse, saepe numero deprehendi. Amatus Lusitanus cent. III, p. CCXXXIV. hac, inquit, aestate pueri plus minus CL. febribus epidemicis exanthematicis affecti ad manus nostras peruererunt, e quibus omnes euacuati euaserunt. Ex aliis vero, quibus, parentum culpa, euacuatio facta non fuit, tres obierunt, quatuor vero in vlcera maligna inciderunt.

§. XXXIV.

Non autem valentiora aluum mouentia, sed an-Aluum tiphlogistica, saepius atque in refacta dosi exhibita, in mouen-
his morbis profundit. Dn. Frid. Hoffmann l. c. §. 7. tia.
inquit: cum alui fluxu morbus saepe solui soleat, si
natura ad eum inclinet, nec tamen rite succedat,
laxante antiphlogistico iuuanda est. Decoctum ex fo-
liis Sennae, cremore tartari atque pulpa cassiae vel ta-
marindorum, diuisis vicibus, cochleatim eo vsque da-
re soleo, vsque dum aeruginosae atque putridum
olentes feces aluinae cessent, atque naturalis constitu-
tio illis redeat. Alii extractum panchymagogum Crol-



iii in mixtura simplici solutum, vel pulpam tamarindorum in sero lactis decoctum, aut elixirium purgans acidum recte exhibeant.

§. XXXV.

Clysteres.

Clysteres non solum aluum adstrictam, hic nocuam, reserare, sed etiam laxantium effectus egregie augere possunt. Dn. Io. Zach. Platner in methodo medendi singulis morbis applicata §. CXXXVIII. si aluus, inquit, adstricta est, quae febrem longe peiores reddit, illam clysteribus mollientibus soluere, oportet. Afferente Dn. Frid. Hoffmanno opusc. phys. med. I. I. p. CLVII. clysteres & conuenientia laxantia praestantissimam, & quasi diuinam, opem tulerunt.

§. XXXVI.

Diapnoe.

Morbos hos neque circa sua initia, neque sub suo decursu, sudores criticos, sed, sub febris declinatione, atque manifesta symptomatum remissione, dia-pnoen, satis diu perdurantem, exercere, in pathologica eorum pertractione traditum est: ergo sub febris atque symptomatum vehementia sudores minime, & tanto minus pharmacis calidis, mouendi sunt, nisi imprudentissime, atque cum summo periculo, oleum camino addere velis. Declinationis tempora potius expectanda sunt, & tunc excretioni peripheriae spontanei naturae motus satisfacent. Vbi tum temporis adiumento opus fuerit; infusa theaeformia tepida, & mixtura simplex liquori minerali anodynō iuncta, atque

que in refracta dosi data, sufficient, sub diapnoë au-
ta alius iusto siccior atque obstructa esse solet, cui
tamen clysterum mollientium vsu facile mederi possu-
mus. Dn. Io. Zach. Platner in arte medendi singu-
lis morbis applicata §. CXXXVII. sudor, inquit, non
vi mouendus, sed, suo tempore, nonnisi lenioribus
iuuandus est. Obseruante Dn. I. G. Brendel in diff-
cit. §. XIV. suo tempore, & sub manifesta febris de-
clinatione, atque symptomatum remissione, natura me-
lioris notae sudores, vix profusos, sed, cum modico
cutis madore, vix halituosos, addet. Moderata haec
excretio peripherica, etiam post morbum superatum,
bono regimine custodienda est, nec, ante plenariam
virium recuperationem, aëris iniuriis corpus exponen-
dum est.

Obs. In quibusdam epidemicis miliaribus, atque in subiectis ad
sudores pronis, iam sub ipso morbi decursu sudores satis
largos sponte natura, & cum aegrotantis euphoria ortos,
& neque exanthemata neque diarrhoeam tollentes, vidi.
Hinc arte neque minuendi, neque augendi sunt; sed il-
lud negotium, sub moderato analepticorum atque antisepti-
corum vsu, naturae relinquitur; hic enim motus augere,
aeque stolidum atque nocuum esset, ac si equo per se cur-
renti calcar addere velles.

§. XXXVII.

Si primariam morbi caussam prudenter ac per-
petim aggredimus, materiam septicam corrigendo, ac si Sympto-
ne tumultu ex corpore sensim proscribendo; tunc, matum
causa sensim correcta, imminuta atque denique subla-
ta,



tas, etiam febris & reliqua symptomata sensim infringuntur ad debellantur. Cum vero quaedam symptomata satis molesta sint, &, sibi relista, damnum interea dare possent; eorum peculiarem rationem habere, conuenit.

§. XXXVIII.

Analeptica.

Temperatissimo regime, atque analepticorum non calidorum, tam ex fonte diaetetico, quam pharmaceutico, desumtorum, recto vsu vires sustinent atque refocillantur: Copiosus brodii cerasorum acidorum, decoctorum gelatinosorum acido conditorum, decocti corticis peruviani acido conditi & panis, ad mentem Sydenhamii, cum vino generoso acidulo aliquatenus remixti, iulapiorum ex aquis fragratis v. c. cinnamomi cydoniata, florum naphae, Tiliae &c. syrups & rob. acidis e. g. citri, mororum, rubi idaei &c. & liquore minerali anodyno Hoffmanni rite praeparato concinnatorum, emulsionum tenuium nitro conditorum, aliorumque consimilium, vsus in hunc censem veniunt.

Schol. Analeptica acida atque emulsiones temperantes non promiscue, sed diuisis temporibus, exhibenda sunt; ne harum praecipitatio oriatur: Igitur vel analepticis acidis solis pugnandum, vel haec interdiu, atque emulsiones temperantes noctu exhibenda sunt.

§. XXXIX.

Cepha-

Cepalalgiam, in deliria acuta facile transeuntem, regimen conueniens, situs capitis elatior, atque internus anti-


antisepticorum, diluentium atque temperantium usus algiae
mitigant. Praeterea tamen epithemata ex mica panistractatio.
domestici, sale communi, & baccis iuniperi contusis,
aceto vini respersis, facta, capiti applicare, haud inuti-
lia sunt.

§. XL.

Cum deliria ab encephali irritatione atque inflam-
matione, & coma somnolentum ab eius pressione, sint, rum &
praeter internum antisepticorum, aperituorum atque comatis,
temperantium usum, materia putrido acris remediis
cutim exulcerantibus ad exteriora euocanda, & sic a
partibus nobilioribus auerruncanda est. Dn. Io. Zach.
Platner l. c. §. CXL. ea nonnisi in comate locum ha-
bere autumat: Sed, cum materia mobilis sit, ideo-
que irritantibus externis obtemperet; me a sic dicto-
rum vesicatoriorum usu egregios hic effectus, caeteris
paribus, videre, probe memini; in primis si eiusmodi
vlera & diutius, &, re exigente, etiam post morbum
aliquamdiu alita fuerunt. Dn. I. G. Brendel l. c. col-
luuiem, inquit, putridam per vlera artificialia ex
vesicatoriis, perpetim atque diutule, etiam post mor-
bum, alenda, exterminemus.

§. XLI.

Tempestiuia materiae putrido-acris correctione at-
que subductione inflammations septicae facilius arce-
matio-
ri, quam iam praesentes, & cito in gangraenam & num se-
phacelum ruentes, tolli possunt. Quid caeterum con-
tinua-
rum.



tinuata dictarum indicationum procuratione sperari pos-
sit, nec ne? ipse usus ostendet. In angina septica,
praeter gargarismata ex decocto herbarum traumatica-
rum, melle rosarum atque spiritu salis conficienda,
atque linimenta ex dicto melle ac spiritu, diligenter
in usum vocanda, cataplasmata mollientia, ad euocan-
dam materiam, collo extrinsecus circumdari possunt.
Emplastrum vesicatorium, nuchae impositum, pluribus
opem tulisse, in actis Acad. regiae Suecicae vol. XVI.
p. CXXXIV. relatum est.

§. XLII.

Aphtha-
rum.

Diligente oris collutione, & linguae abstersione,
ne materia putrido - acris ibi haerens linguam & fau-
ces exulceret, praecaendum est Ipsae aphthae iam
praesentes melle Rosarum cum oleo myrrae per
deliquium recenti remixto, vel borace puluerata cum
syrupo mororum subacta, illini ac detergeri possunt.
vid. Dn. Vrban. Bruun Aaskow in diario medico na-
uali, Hafniae MDCCLXXIV. edito.

§. XLIII.


Febris
modera-
men.

Ad feroarem febrem nimium contemperandam
remedica antiseptica, acrimoniam obtundentia, acida at-
que temperantia faciunt. An in aestu temperando,
prae nitro vulgari depurato, nitrum semiuolatile pre-
rogatiuam habeat, experientia desitutus, in medio re-
linquere, cogor. vid. Dn. Io. Frid. Faselii progr. de
nitro semiuolatili egregio aduersus febres malignas at-
que

que exanthematicas remedio. Ienae MDCCCLXII edito.
 Vbi autem vires nimium prostratae sunt, & motus febrilis, sine bonis signis, valde & iusto citius remittit; alexipharmacis v. c. camphora, oleo bezoardico Wedelii, vel liquore C. C. succinato, vel spiritu bezoardico Bussii, cum liquore minerali anodyno remixtis, caute & refractis dosibus datis, iterum excitari possunt. Dn. C. G. Ludwig in praxi clinica §. CXXXI. si pulsus, inquit, non solum a celerritate remittit, sed & iusto debilior fit, & vires vitae ac febris excitandae sunt; alexipharmacra v. c. camphora in parua & sensim augenda dosi dari possunt. Caute tamen in his propinandis medicus versetur; ne humores nimio eorum vsu exagitando, easdem ad resolutionem destruторiam magis disponat.

§. XLIV.

Cum petechiae ad exanthemata critica non per-exantieant, eorum retrogressus, sub diarrhoea, minime extimescendus, nec illis iterum expellendis nocua opera danda est. Nec exanthematum erysipelatum post nonnullos dies pallor atque disparentia, caeteris paribus, extimescenda sunt. Sed purpurae & maxime variolarum alia ratio est, quae collabentes, retrocedentes, nec rite suppurantes, maxima mala minantur. His malis pessimam ipsius morbi indolem, frigus, atque ingrata animi pathemata, in primis terrorēm ansam praebuisse, memini. Ad has reuocandas, corticis



corticis Peruvianii, infusorum theaeformium, atque prudenter alexipharmacorum §. praecedente enumeratorum, cum recto regimine, usum perutilem deprehendi. Dn. Frid. Hoffmann l. c. §. IX. si purpura, inquit, retrocedens anxietatem facit, liquor bezoardicus Bussiae vel liquor C. C. succinatus, cum liquore meo anodynō remixtus, operae pretium faciunt.

§. XLV.

Cautelae
post
mor-
bum.

Diapnoen, etiam post morbum, nonnullas hebdomades continuandam, ob mala conlectaria, caeteroquin ineuitabilia, custodiendam esse, supra iam monui. Diaeta insuper parca atque eupepta sit; toto enim corpore ex graui morbo debili, etiam ventriculus atonia laborat, & liquor gastricus pristina nobilitate nondum donatus est. Hos morbos lienteriam temporariam excipere, saepius a me obseruatum est, quae vero, accedente recta diaeta, breui cessat. Cum praeterea & mentis & corporis vires non nisi tarde reficiantur, a negotiosis mentis actionibus, corporis exercitiis, atque veneris usu, tam diu prudenter abstinentur est; usque dum, & mentis & corporis vires sufficienter recuperatae, consuetas vices iterum suscipi posse, nos commoneant.



71 CA



79

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
**FEBRE CATARRHALI
EPIDEMICA MALIGNA,**

QVAM,
SVMMI NVMINIS AVSPICIO,
ET
**GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
CONSENSU**

PRA
DN. IOAN. V
MED. ET PHIL. DOCTORIS
GRAVII A CONSILIIS RERU
PRIMAR. PHYSICI
NVLLARVM ACAD

GRADV
PRIVILEGIIS IN S
RITE O
PVBLICO ERV
D.
AVTOR ET
**GEORGIVS PHIL
ODAGSENA**

G I
apud IOANNEM IACO

